



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 1. Naturam prioritatis explicat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

includit hoc concretum existens in statu existentie, includit idem concretum possibilitatis obiectivæ, seu Logicæ, cuius possibilitas non distinguitur ab ipsa entitate existente. Operatio verò quatenus dicit potentiam physicam, in qua virtualiter continetur tantum dicit actum primum realiter distinctum ab ipsa operatione possibili, & existenti.

PUNCTUM III.

De prioritate causæ respectu effectuum.

S. I.

Naturam prioritatis explico.

Prioritatem causarum respectu effectuum explicuit Aristoteles in Metaphys. cap. 11. & in Postprædicatione. cap. 11. ubi postquam varios modos prioritatis tradidisset, scilicet prioritatem ordinis, dignitatis, universality, & temporis, accedit ad illa, quæ prioritatem causæ habent. Quæ verbis exponit: *Alia autem natura (scilicet priora) ea inquam, omnia, quæ cuiusmodi sunt, ut sine aliis esse possint, non item sine illis alia.* Ex quo inferitur illud, quod prius naturæ est, posse esse sine posteriori, posteriori autem sine priori esse non posse, ideo dicitur prior naturæ quia sine effectu subsistere potest, effectus verò sine causa neutiquam potest existere. Ratio est, quia causa non recipit suum esse ab effectu, & ita deficiente effectu potest cum illo permanere; effectus verò habet à causa, quapropter sine causa existere repugnat.

Sibi contrarium fuisse Aristotelem in postpræd. cap. citato existimant nonnulli decepti quibusdam verbis, quibus ego doctrinam Philosophi magis illustrabo: *Videbatur ultra iam dictos, alius quidem esse prioris modus. Eorum enim, quæ essendi consequentia convertuntur, alterum quod est causa quorvis modo, ut alterum sit, prius naturæ non incongruè dici potest.* Ecce Aristoteles assignat alium prioritatis modum inter illa, quæ ad invicem convertuntur, quorum vnum est causa alterius: ergo prioritas ex mente Philosophi non dicit consequentiam non mutuam inter illud, quod est posterius. Hæc verba nonnulla speciem obiectioni præbent, illa tamen adduxi in confirmationem doctrinæ, quam tradiderat Aristoteles, quam apprimè probant, si attextantur illis, quæ postea subdit Philosophus, quibus præcedentia declarat. Exemplo doctrinam traditam explicat Arist. *Esse enim hominem ad orationem de ipso veram, essendi consequentia sanè convertitur. Nam si sit homo, vera est oratio, quæ de ipso profertur, & e contra, homo profectus est, si vera est oratio ea, quæ hominem dicimus esse: Atqui oratio vera, ut res sit nullo pacto est causa; res tamen aliqua ex parte causa videtur, ut sit oratio vera.* Non dubitari potest in hoc exemplo extrema non dici ad convertentiam, res enim, quæ causa est veritatis, connexionem non habet cum veritate, quæ est illius effectus, non enim inferitur est homo: ergo est veritas propositionis, quæ dicitur hominem esse, quia homo potest existere nulla propositione existente, in quo casu erit homo, & non erit propositio vera: veritas autem cuius est causa homo existens, necessarîo inferit hominis existentiam, & hæc est recta illatio, hæc propositio *homo existit*, est vera: ergo homo existit: hæc autem non ita: homo existit: ergo datur aliqua propositio vera cuius ipse sit causa, quia potest existere homo nulla propositione verâ, vel falsâ existente. Vnum in hac re verum est propter quod videntur aliquo modo dici ad convertentiam hæc extrema, etsi verè non convertantur, quod Arist. in prædictis verbis insinuat, & ex quo fundamentum desumpsit ad affirmandum, hæc extrema converti non absolute, sed ex suppositione, ut iam explico, quod non est contra prioritatem causæ respectu effectus. Asserit Aristoteles rectè inferri esse hominem ad orationem de ipso veram, hoc est rectè valere, hæc oratio est vera, *homo existit*: ergo existit homo. Postea subdit rationem propter quam hæc illatio mutua videatur: *Nam si sit homo vera est oratio, quæ de ipso profertur, expendas quæso illa verba, quæ de ipso profertur, quæ non imprudens addit Aristoteles, qui non dixit: si sit homo, vera est oratio; quia hæc est inepta consequentia, est homo: ergo est oratio vera: sed dixit: Nam si sit homo, vera est oratio quæ de ipso profertur.* Ac si diceret, si est homo vera erit oratio, quæ de

ipso profertur, clariùs, si sit homo, ex suppositione, quod esse de illo profertur, oratio vera erit, implicat enim existente homine, me profere hanc orationem, *homo existit*, & illam veram non esse, ac proinde mutuo dicuntur, hæc propositio est vera *homo existit*; ergo verè existit homo: Similiter homo existit: ergo hæc propositio quam ego modo profero, *homo existit*, vera est. In quo sensu extrema hæc ad convertentiam dicuntur, quod declarat Aristoteles prædicto testimonio, semperque integra remanet illius doctrina, quia veritas propositionis, quæ est effectus obiecti, nulla suppositione facta inferit obiectum, obiectum autem quod est causa, nulla suppositione facta, veritatem non inferit, ut patet in exemplo adducto.

Ceterum contra hanc doctrinam ita nonnulli obijciunt: ex parte illius, quod prius dicitur, vel tantum sumitur actus primus secundum se, vel actus primus cum actione: si sumitur actus primus cum actione, quatenus dicit hoc concretum *causans*, non potest esse sine effectu, si sumitur actus primus secundum se, sicuti actus primus secundum se potest esse sine effectu, ita effectus secundum se potest esse sine illo, quo posterior est, quia poterat dependere ab alio per aliam actionem, & non esse posterior hoc actu primo: ergo non est consequentia de effectu ad causam, quæ non sit ex causa ad effectum, cum neutra entitas secundum se alteram inferat, & sicuti effectus causalitati adiunctus inferit causam, ita causa adiuncta causalitati inferit effectum. Respondeo facta comparatione cum causa in actu primo existente, omni actione seclusa cum effectu nudè sumpto disparem esse rationem, quia causa posita in actu primo potest esse sine aliquo effectu, & ita illud esse quod habet in illo primo habet independentem ab omni effectu, ita ut verum non sit dicere, hæc causa in actu primo existit ex vi huius effectus, quo ablato non existeret. Effectus verò in instanti in quo existit eo ipso quod existat affixus est alicui actioni determinatæ, quia etiam hæc vel illa illi sufficeret, eo ipso quod existit vnam determinatam habet, ex vi cuius existit, & quæ deficiente deficeret effectus, mediâ quæ affixus est huic actu primo, quia illa actio, ex vi cuius existit ex natura sua est determinatè affixa huic actu primo, & ita verum est de effectu, qui modò existit dependens ab hac actione per se affixa huic principio, non solum secundum causalitatem, sed etiam secundum se defectum deficiente hoc principio, dummodo aliud non superveniret; de causa verò nunquam est verum dicere, deficiente hoc effectu, seu hac causalitate deficeret causa, nullo alio superveniente effectu. Verum est, me non posse modò inferre ex existentia effectus nudè sumpti existentiam huius numero causæ; qui nescio ex vi cuius causalitatis existit, quæ immediatè mihi causam demonstrat, in re tamen effectus ipse, etsi non per suam entitatem, per causalitatem, quam de facto habet, est affixus huic causæ, ita ut sine illa non existeret; causa verò, etsi de facto per causalitatem coniungatur cum effectu, ita coniungitur, ut illo deficiente eodem modo existeret, etiam si nullus alius succederet effectus.

Ceterum huicque nondum dictum est, per quid constituitur causa prior effectu: licet enim actus primus, qui sine secundo esse potest, denominatur prior naturæ respectu actus secundi, ut dictum est, tamen non dicitur prior naturæ per suammet entitatem, ut patet ex ipsa ratione actus primi, seu subiecti, quod denominatur prius naturæ, quod potest esse sine effectu: ergo potest esse sine illo, quod est posterius: ergo potest non esse prius, quia sine posteriori existenti saltem in signo sequenti non potest existere prius formaliter ut prius: ergo actus primus, qui formaliter denominatur prior naturæ, in ratione prioris constituitur per causalitatem per quam constituitur formaliter causans, & per eandem indivisibiliter effectus constituitur posterior. Sicut enim per eandem constituitur ignis produciens calorem, & calor productus ab igne, ita per eandem constituitur ignis prior naturæ calore, & calor posterior naturæ igne, quia conceptus prioris naturæ est conceptus causantis, & conceptus posterioris est conceptus causati: itaque duo dicitur entitas, quæ est prior naturæ, seu subiectum, seu actus primus, qui denominatur prior naturæ; posse existere sine illo, respectu cuius prior dicitur, & esse causam illius: primum habet actus primus, ratione sui, quia per se est independens ab omni effectu producendo; secundum per actionem superadditam, ex vi cuius constituitur effectus existens. Similiter

militer in effectu aliud est actu dependere, & effici ab illo, quo posterior est aliud non posse esse sine illo: Dependere actu habet per causalitatem superadditam, non posse existere sine hac causa determinata, ex eo quod de facto terminet hanc causalitatem, & non aliam, quod similiter dicit causalitatem superadditam, habet tamen ex se, & per suam intrinsicam entitatem non posse existere sine hac, vel illa, quia ita intrinsecè petit dependere ab aliqua causa, ut implicet existere sine illa dependentia.

Concludo ex his actum primum secundum se non esse priorem naturæ, sed per actionem superadditam, quæ ab illo potest saltem supernaturaliter separari. Infero similiter effectum secundum suam entitatem non esse posteriorem naturæ, sed per eandem causalitatem, per quam dependet ab agente, quia ut modò dicebam per eandem entitatem constituitur causa prior, & effectus posterior, habet tamen effectus per suam naturam, ita exigere dependere ab aliqua causa, quæ sit posterior, ut implicet existere sine aliqua dependentia illi superaddita. Hæc de effectibus, qui dependent per actionem interiectam illi verò qui immediate dependent per suas entitates abique vili mediâ actione per suas entitates formaliter nullo alio superaddito constituitur posteriores certâ, & determinatâ causâ, à qua per se dependent. Infero similiter actionem quâ dependet effectus à causa non esse priorem effectui, quia sine effectu existere non potest, sed intrinsecè per suam entitatem ita est connexa cum effectu, ut non possit neque diuinitus esse sine illo. Rursus infero primam personam Trinitatis non esse priorem naturæ Filio, quia non est causa illius, ut probauimus puncto I. neque me accuset circuli committere, ego enim non probauimus, Patrem non esse causam Filij, quia non est prior naturâ illo, ut aliqui probant, sed iam aliunde firmum suppono, non esse causam, ex quo infero non esse priorem, quia prioritas naturæ essentialiter dicit causalitatem, & supponit virtutem causatiuam. Deinde Pater non potest dici prior Filio, quia adhuc ut principium productiuum Filij existere non potest sine Filio, similiter principium productiuum non distinguitur ab actuali productione actiua, & sicuti productio non potest esse prior naturâ propter rationem dictam; ita neque principium cum illa identificatur. Adde in multorum sententia, primam personam formaliter constitui per generationem actualem, & ita neque formaliter datur principium productiuum Filij distinctum ab ipsa productione actuali. Infero vltimò: Actum primum formaliter, ut priorem naturâ effectui non posse separari ab illo, quia formaliter ut prior includit causalitatem inseparabilem ab effectu, respectu effectus, qui non dependet, mediâ causalitate distincta, includit ipsum effectum.

Hæc de prioritare in quo, quam prioritatem nature Philosophi appellant. Aliam prioritatem assignant Doctores, quam vocant prioritatem à quo, quæ non dicit necessariò causalitatem neque illam excludit. Prius à quo dicitur illud à quo aliud siue natura, siue supposito distinctum trahit originem, illud verò quod originem trahit, posterius à quo dici solet. Hac ratione, Pater dicitur prior prioritare originis Filio, & hic eadem ratione posterior dicitur, quia pater filium producit, & filius productus dicitur à patre. Eadem ratione omnis causa prior est effectu, & omnis effectus posterior causæ, valet enim, est prius natura: ergo origine; non tamen è contrâ, quia prioritas naturæ & in quo, suprà prioritatem originis; & à quo, dicit veram causalitatem, quam non includit præcisè prioritas originis seu prioritas in quo. De actione dissentiant Doctores. An prior dicenda sit effectui prioritare originis, affirmant aliqui à paritate generationis actiua, quæ est prior origine termino genito, & quæ effectus verè dicitur esse ab actione. Negant alij existimantes effectum non esse ab actione sed à causa mediâ actione: & disparitatem reddunt ad exemplum adductum, ex eo quod generatio actiua non distinguitur à principio producente Verbum, cuius est generatio, actio verò procedens à causa distinguitur à principio producente effectum. Res est parui momenti, assentior huic dicendi modo.

§. II.

Argumenta soluta.

Obiicit, ad probandum non omnem actum primum posse esse sine effectu, ac proinde non omnem causam

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

priorem naturæ adhuc materialiter sumptam sine effectu esse posse. Ex parte actus primi respectu cuiusvis effectus supponitur actus voluntatis, quo Deus vult illam producere; sed posito hoc actu non potest esse actus secundus: ergo posito actu primo valet consequentia ad actum secundum. Ne recurras ad effectum, qui ratione libertatis, vel impedimenti creati potuit non coniungi cum actu primo, quia tantum supponebat decretum virtuale, vel decretum producendi effectum dependenter à libertate causæ creatæ; conficio argumentum in actu primo, qui supponitur ad creationem Angeli: creatio Angeli supponit ex parte actus primi decretum absolutum, & efficax creandi Angelum: sed supposito hoc decreto non potest non Angelus creari, quia est decretum absolutum, & efficax independens ab aliquo, quod possit impedire creationem Angeli, quæ nullam entitatem habet in rerum natura secum impossibilem, quod decretum non minorem connexionem habet cum creatione Angeli, quam ipsa creatio cum termino: ergo hic actus primus inseparabilis est ab effectu, etiam per intellectum, quia non possumus concipere decretum efficax Dei sine effectu, quem Deus per tale decretum intendit producere: ergo datur actu primus à quo valet consequentia ad effectum: ergo cum postea huic actui primo aduenit actio, non constituitur prior natura, quia de ratione illius, quod est prius natura, est, ut ex illo non valeat consequentia ad illud, quod est posterius. Respondeo totum actum primum, qui supponitur ad creationem Angeli quatenus dicit omnipotentiam, & decretum illud efficax, posse, & de facto separari ab Angelo non pro illo instanti pro quo Deus decernit creare Angelum, sed per totam æternitatem præcedentem; omnipotentia enim, & decretum ex vi quorum Angelus in tempore fuit creatus existere ab æterno sine creatione Angeli; actio verò productiua effectus pro nullo instanti potest existere non existente effectu, & ideo connexio, quam habet actio cum effectu opponitur cum prioritare naturæ, non verò connexio, quam habet decretum cum effectu. Dices omnipotentiam cum tali decreto creandi Angelum in instanti, non esse actum primum ad creationem faciendam in æternitate, seu in aliquo instanti præcedenti instanti, ac proinde huic actum primum non posse existere in illa mensura, pro qua est actus primus sine effectu. Concedo, decretum non posse existere in mensura, pro qua est actus primus, id est, pro qua ex vi illius decernitur effectus sine effectu, nihilominus verum est totum actum primum secundum se præcessisse in æternitate sine effectu, ac proinde non valet consequentia, est actus primus ad producendum Angelum in instanti: ergo est Angelus productus. Sed necessum est adiungi aliam præmissam, videlicet, est actus primus creandi Angelum in instanti, & instanti, & est iam præsens: & tunc legitime inferitur: ergo existit Angelus.

Instabis: supponamus Deum decreuisse creare Angelum ab æterno, & perpetuò illum conseruare. Decretum, quo decerneretur talis creatio semper connecteretur cum effectu: ergo non posset esse prius naturâ illo, ergo actus primus huius Angeli non esset prior naturâ illo. Respondeo decretum creandi Angelum ab æterno, & perpetuò illum conseruandi, esse actum primū substantiæ Angeli, & infinitarum durationū, quas per totam æternitatem haberet, quæ omnes essent actus secundus adequatus respectu illius, à quo actu secundo adequato actus primus de facto separaretur, quia numquā illi toti simul coexistere, sed successiue in singulis instantibus, singulis partibus illius actus adequati, hoc est, singulis durationibus; & dū huic coexistere, esse sine omnibus aliis. Et ita à quacumque illarum singulariter sumpta per æternitatem à parte antea, & à parte post separaretur, quia tantum illi coexistere per vnicū instanti, in quo existeret illa duratio, & ita ex existentia actus primi non posse inferri existentiam totius actus adequati, qui numquā simul existeret, neque existentiam huius partis in particulari, quia hæc tantum existeret in vnicō instanti, & actus primus illius per totam æternitatem duraret. Quod si substantia Angeli semper coexistere actui primo, seu decreto, quo produceretur, ideo esset, quia decretū esset actus primus substantiæ Angelicæ, ex eo enim quod sit decretum efficax circa substantiā Angeli, tantum inferitur Angelum esse futurum in aliqua differentia temporis, non verò per totam æternitatem, sed ex eo, quod esset actus primus durationum correspondentium omnibus temporis

R 3